



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Theodora Et Didymus MM. 28. Aprilis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

SS. THEODORA ET DIDYMUS  
M. M. 28. Aprilis.

**F**Abulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam **DIDYMUS** & **THEODORA** dederunt. Hæc dum parvulum tyrannum Amorem fugit, in majorem alterum Maximinum Imp. incidit. Jubetur aut fidem, aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr? placuit virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus **DIDYMUS** irruit in militis personam vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virgine miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo, quam cum sic miles; nunquam magis iste vir, quam cum sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugam meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpisset; demum si **THEODORA** addicta sit morti, **THEODORAM** se esse; si **DIDYMUS**, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille, ingratoram benefactori præmium invidere; arma se exuisse, non militem, stolam



268 VITÆ SANCTORUM. 28. April.  
lam induisse, non feminam; turpe fore  
viro tergum vertere, si sic mulier pugna-  
ret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis  
naturam dedisse; se denique (sive D I-  
DYMUS jam esset, sive THEODORA)  
se ad mortem damnatum clamabat. Quid  
multis? duo pugnarunt, & cernentibus  
causam licitoribus, ambo vicerunt. Ex  
D. Ambr. l. 2. de Virg.

*Virginitas fastigium est omniumque con-  
summatio virtutum; ad quam si quis eniti  
potuerit, hunc servum Dominus, hunc  
discipulum Magister agnoscat, hic terram  
triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia  
virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero  
cult.*

S. PAPHNUTIUS M. 28. April.

**P**APHNUTIUS Eremita, detectis à  
tutelari genio gentilium insidiis, fa-  
cto divino sacrificio, ultrò in jus atque  
judicis conspectum ambulavit. Quem  
Sanguinarius canis tam foedâ verberum  
lanienâ concerpfit, ut patefactis lateri-  
bus exta in terram effunderentur, quæ  
facere custos suis denuò receptaculis ab-  
didit, vulnereque hiatus obsepfit. Cum  
in vinculis mirâ luce micaret, XL. se-  
natores veritatis claritate præstrikti, u-  
num ac verum Numen sunt professi,  
eamque ob causam flammis absumpti.  
Non multò pòst sedecim pueros sena-  
torum